

su reconocimiento al Padre Santo por la distinción que le había conferido y la estimación que profesaba al Capítulo de la Basílica Lateranense, iglesia madre y maestra de todas las de la ciudad y del mundo, por ser la verdadera Catedral del Obispo de Roma, Pontífice de la Iglesia Universal.

Curioso episodio—Sobre uno de los puentes de París hallábanse varios jóvenes mirando con tristeza el torrente de fango que corría por la ciudad, cuando acertó á pasar por allí un sacerdote. Oyéronse al punto estas palabras pronunciadas en alcohólica voz: "Y todavía hay quien afirme la existencia de un Dios bueno."

—"Ah! no, amigo mío! respondiéndole al blasfemo el sacerdote. Usted sabe muy bien que para muchos ya no existe. En cambio la ciencia es omnipotente, y es menester invocarla en estos trances. Adiós."

Algunos días después la prensa anticatólica comentaba, sin quererlo, el diálogo anterior: todos los periódicos anticlericales se quejaban amargamente de la impotencia del hombre para contener la inundación que burlaba los cálculos y previsiones humanos, y preguntaban por qué Dios no hacía un milagro.

Es de notar que la inundación acaeció después de que el parlamento francés proclamó la divinidad de la ciencia.

RETIRO MENSUAL

PARA SACERDOTES

Distribución del tiempo:

A las 12 m., Visita al Santísimo y lectura.

De 12½ á 1½ p. m., Meditación.

De 1½ á 2 p. m., Tiempo libre.

De 2 á 3 p. m., Vísperas, completas y meditación.

A las 3 p. m., Plática y conclusión.

El Retiro de Mayo próximo será el jueves 19.

LA IGLESIA

ORGANO OFICIAL DE LA ARQUIDIOCESIS DE BOGOTÁ

Año V—Vol. V } Mayo 1.º de 1910 } Núm. 7

REVERENDISSIMI PRIMATIS EPISTOLA

AD ROMANUM PONTIFICEM

Beatissime Pater:

Novis, et antehac inauditis injuriis, nuperrime Sanctitatem Vestram appetitam fuisse, maximo stupore, animique ægitudine cognovimus. Nimirum, *superbia eorum qui Christum ejusque Ecclesiam oderunt, ascendit semper, ita ut non religionem modo, sed et humanitatem, gratique animi sensum exuisse omnino videantur.* Neque enim, quominus talia auderent, quidquam apud eos valuit, vel illustrium beneficiorum recordatio, quæ Summi Pontifices in Italiam universam, et præcipue in urbem Romam contulerunt.

Hinc illud etiam apparet, conditio Sanctæ Sedis quam sit iniqua, ex quo tempore illi, per summum nefas, ademptus est principatus civilis. Etsi enim, ad tuendam Pontificis dignitatem si quæ Romæ summa rerum potiuntur, lata lege, sese obstrinxerint, nihilominus populari licentiæ freno laxantur, infensisque catholico nomini consociationibus libera datur facultas, Pontifici Maximo, probrosi spectaculis, plenisque odii atque furoris clamoribus, illudendi. Quin etiam, nihil ut ad Pontificiæ Majestatis contemptum violationemque deesse videatur, sacrilegi habentur honores, misero apostatæ Jordano Bruno, recentiorique illi cædium, incendii, amplissimæque urbis vastationis auctori nefario; idque e regione fit cædium Vaticanarum et in conspectu prope Sanctitatis Vestræ.

Procacibus hisce contumeliis, communi Parenti illatis, vix dici potest quantum amantissimi filii terrarum licet marisque tractibus disjuncti, commoveamur. Quas, cum propulsandi copia non suppetat, doloris saltem quem inde concipimus, simulque nostri in Beati Petri Successorem obsequii studiique, testis hæc sit epistola, meo ipsius nomine, nec non aliorum Columbiæ Episcoporum, cleri-que et populi fidelis conscripta.

Faxit benignissimus Deus, ut, amotis impiorum hominum fraudibus, dies ille jucundus illucescat, cum Christi Vicarium videre licebit, honore debito circumdatum, ea libertate frui, qua Ipsi opus est, ad injunctum sibi divinitus officium, in totius Christiani generis commodum, exercendum.

Beatissime Pater.

Bogotá, die 19.^a Aprilis, 1910.

✠ BERNARDUS,

Archiepiscopus Bogotensis.

CARTA

del Illmo. y Revdmo. Señor Arzobispo Primado al Romano Pontífice.

Beatísimo Padre:

Con extraordinaria pena y horror hemos sabido que Vuestra Santidad ha sido recientemente objeto de nuevas é inauditas injurias. *La arrogancia de aquellos* que odian á Cristo y á su Iglesia, *va en aumento cada día*, de modo que parecen haberse despojado de todo sentimiento no sólo de religión sino aun de humanidad y de gratitud, pues no ha sido parte á reprimir sus excesos ni siquiera la memoria de los grandes beneficios que los Romanos Pontífices han dispensado á la Italia en general, y en particular á la ciudad de Roma.

Por aquí se echa también de ver cuán triste es la con-

dición á que ha quedado reducida la Santa Sede Apostólica desde que, contra toda justicia, le fueron arrebatados sus dominios temporales. Si bien es verdad que los que hoy ejercen el poder supremo en Roma se comprometieron por ley á dar garantías al Pontífice, sin embargo se suelta la rienda á la licencia popular y se permite á las asociaciones enemigas del nombre católico ultrajar impunemente al Sumo Pontífice, con indignos espectáculos y con gritos de odio y de furor. Y como para que nada faltase al vilipendio y ofensa de la Majestad Pontificia, tribútanse sacrílegos honores al desventurado apóstata Giordano Bruno, y al malvado autor de incendios, matanzas y devastación en una ciudad ayer floreciente; y todo esto pasa muy cerca del Palacio Vaticano y casi á vista de Vuestra Santidad.

No es mucho, pues que á tan insolentes ultrajes irrogados al Padre común responda, de modo que apenas puede declararse, la honda pena de vuestros hijos que demoran en estas apartadas regiones de América.

Y como no sea posible emplear otros medios de desagravio, valga el testimonio de la aflicción que nos han causado los referidos ultrajes, y de la obediencia y veneración que profesamos al Sucesor de San Pedro; testimonio que dejamos consignado en esta Carta escrita en nuestro propio nombre, y en nombre del Episcopado, del clero y pueblo colombiano.

Plegue á Dios misericordioso que, frustradas las maquinaciones de los impíos, luzca pronto el venturoso día en que le sea dado al Vicario de Cristo, recobrar todas sus prerrogativas y la libertad que ha menester para ejercer su misión divina, en beneficio de la grey del Señor.

Beatísimo Padre.

Bogotá, Abril 19 de 1910.

✠ BERNARDO,

Arzobispo de Bogotá.

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

DE SACERDOTUM POLONORUM ADMISSIONE IN CLERUM
DIOECESANUM STATUUM FœDERATORUM AMER. SEPT.

Anno proxime elapso, Episcopus Superiorenensis quæsit ab hac S. C. Consistoriali utrum instructio data a S. C. de Propaganda Fide die 25 Februarii 1896 ad Revmos. Ordinarios Statuum Fœderatorum Amer. Sept. post Constitutionem *Sapienti consilio* adhuc in suo vigore maneret necne.

Citata instructio ita se habet, «nullus sacerdos, vel ad statum ecclesiasticum candidatus, ex Polonia oriundus, etiamsi ex Italia vel alia diœcesi mediate migraverit, in clerum dioecesanum admittatur, nisi testimoniales litteras exhibeat hujus S. C. quibus de legitima discedendi a diœcesi facultate, de immunitate a censuris, necnon de bonis moribus præsentantis plane constet.»

Propositum itaque fuit in S. C. hoc dubium solvendum, «utrum post Const. *Sapienti consilio* adhuc vigere dicenda sit instructio S. C. de Propaganda Fide diei 25 Februarii 1896 relatæ ad clericos polonos in Status fœderatos Americæ Septentrionalis migraturos.»

Re autem mature perpensa Emi. PP. in generali conventu diei 9 Decembris 1909 respondendum censuerunt: Post Const. *Sapienti consilio* standum decretis S. C. Concilii.

Insequenti autem die ab Emo. Secretario, facta SSmo. Dño. relatione, Sanctitas Sua resolutionem Emorum. Patrum ratam habuit et confirmavit.

Decreta autem de quibus mentio fit in resolutione superius relatâ hæc sunt: decretum 14 Novembris 1903 de clericis in Americam et ad Insulas Philippinas profectu-

ris: decreta 20 Julii 1898 et 24 Novembris 1906 de clericorum et laicorum excardinatione et sacra ordinatione; denique decretum 22 Decembris 1905 de seminariorum alumnis.

En ipsa decreta ex integro.

I.—Decretum 14 Novembris 1903 de clericis in Americam et ad Insulas Philippinas profecturis. (Vide LA IGLESIA. Vol. IV, pag. 743).

II

DE CLERICORUM EXCARDINATIONE A PROPRIA DIOECESI
ET INCARDINATIONE IN ALIA, ET DE EORUMDEM
ORDINATIONE

A primis Ecclesiæ sæculis plura Sacra Concilia decreverunt, quod recentius confirmavit Tridentinum *cap. 8, Sess. 23, de reform.*, neminem nisi a proprio Episcopo posse ordinari. Proprius autem alicujus Episcopus, juxta ea, quæ præfinivit in primis Bonifacius VIII in Sexto Decret. *cap. Cum nullus, De tempore Ordin.*, «intelligitur, in hoc casu Episcopus, de cujus diœcesi est is, qui ad Ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cujus diœcesi beneficium obtinet ecclesiasticum, seu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem.» Deinde cum consuetudo invaluerit, ut Episcopi familiares suos, etsi alienæ diœcesis, sacris initiarent, et sancta Tridentina Synodus *cap. 9, Sess. 23, de reform.* id certis sub conditionibus probaverit, obtinuit, ut tribus prioribus titulis, originis, domicilii et beneficii, quibus jus fiebat Episcopis aliquem ad Ordines promovendi, quartus quoque accenseretur, scilicet familiaritatis. Cum autem de hujusmodi titulis disceptaretur, Innocentius XII App. Litt. incipientibus *Speculatores*, datis die 4 Nov. 1694, determinavit ac constituit quo sensu et extensione iidem essent accipiendi ad eum effectum, ut quis proprius fieret alicujus Episcopi subditus, quo legi-

time ordinari valeret. Quæ Constitutio ut suprema lex deinde habita est, eaque duce omnes quæstiones diremptæ. Verum nostris temporibus novæ contentioni frequens se præbuit occasio. Pluribus enim in locis usu receptum est ut clerici, qui e sua diocesi digredi et in alia sibi sedem constituere desiderarent, excardinationem quam vocant, id est plenam et perpetuam dimissionem a suo Ordinario peterent; eaque innixi in alia diocesi incardinationem seu adscriptionem implorarent: qua obtenta, eo ipso ut proprii novi Episcopi subditi ad ultiores Ordines suscipiendos admitterentur. Quæ agendi ratio, ubi caute prudenterque adhibita fuit, absque querelis processit, sed nonnullis in locis, ubi necessaria cautio defuit, controversiis et abusibus viam sæpenumero patefecit. Quapropter Emi. S. C. Concilii Patres, rebus omnibus mature perpensis, præsentī generali decreto hæc statuenda censuerunt:

1. Excardinationem fieri non licere nisi justis de causis, nec effectum undequaque sortiri, nisi incardinatione in alia diocesi executioni demandata.

2. Incardinationem faciendam esse ab Episcopo non oretenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, id est nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiam; ita ut clericus novæ diocesi prorsus mancipetur, præstito ad hoc juramento ad instar illius, quod Constitutio *Speculatores* pro domicilio acquirendō præscribit.

3. Ad hanc incardinationem deveniri non posse, nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum a sua diocesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, si opus sit, de ejus natalibus, vitâ, moribus ac studiis opportuna testimonia.

4. Hæc ratione adscriptos posse quidem ad Ordines promoveri. Cum tamen nemini sint cito manus imponendæ, officii sui noverint esse Episcopi, in singulis casibus

perpendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit, qui tuto possit absque ulteriori experimento ordinari, an potius oporteat, eum diutius probari. Et meminerint, quod, sicut «nullus debet ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis,» ut in *cap. 16, Sess. 23, de reform.*, Tridentinum statuit; ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate aut commoditate diocesis.

5. Quæ vero ad clericos diversæ linguæ et nationis, oportere ut Episcopi in iis admittendis cautius et severius procedant; ac numquam eos recipiant, nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint, secretam ac favorabilem de ipsorum vitâ et moribus informationem, onerata super hoc graviter Episcoporum conscientia.

6. Denique quoad laicos, aut etiam quoad clericos, qui excardinationis beneficio uti nequeunt, vel nolunt, standum esse dispositionibus Constitut. *Speculatores* quæ, nihil obstante præsentī decreto, ratæ ac firmæ semper manere debent.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo. Domino Nostro per infrascriptum Cardinalem S. C. Concilii Præfectum, Sanctitas Sua resolutionem Emorum. Patrum benigne adprobare et confirmare dignata est, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romæ ex ædibus S. C. Concilii, die 20 Julii 1898:

A. CARD. DI PIETRO, *Præfectus.*

Benjaminus Archiep. Nazianzenus, *Pro-Secret.*

III

DE CLERICORUM EXCARDINATIONE ET INCARDINATIONE
EORUMQUE SUBSEQUENTI ORDINATIONE

Decreto diei 20 mensis Julii 1898, quod incipit *A primis*, Emi. S. C. Concilii Patres, probante v. m. S. P. Leone XIII, circa *excardinationem et incardinationem* clericorum eorumque subsequentem ordinationem, hæc quæ sequuntur statuerunt: «1.º Excardinationem fieri non licere nisi iustis de causis nec effectum undèquaque sortiri, nisi *incardinatione*» etc.

Sed pluribus in locis mos jam pridem invaluerat ut quædam litteræ quasi *excardinatoriæ*, seu *excorporationis* aut *exeat* nuncupatæ, laicis quoque traderentur, eodem ferme modo ac pro clericis fieri consueverat: quibus litteris Episcopus originis laicum suæ diocesis subditum dimittebat, et jus nativum, quò pollebat eum in clericalem statum adscribendi, in alium Ordinarium transferre eique cedere videbatur: et vicissim hic illum suscipiens eum proprium subditum sibi facere, et qua talem ad primam tonsuram et ss. Ordines promovere libere posse arbitrabatur, quin aut ratione domicilii aut ratione familiaritatis subditus sibi esset juxta Constitutionis *Speculatores* præscripta. Porro evulgato decreto *A primis*, de hujus praxis legitimitate disputari cœpit, et plura dubia hac de re ad S. Sedem delata sunt. Quapropter de mandato SSmi. questione semel et iterum in hac S. Congregatione examinata, tandem die 15 Septembris 1906 Emi. Patres censuerunt, permitti posse, si Sanctitas Sua id probaverit, ut præfatæ litteræ, quibus laici a propria diocesi dimittuntur, ab Ordinariis concedantur, earum vi extradiocesanus fieri proprius valeat Episcopi benevoli receptoris, et hoc titulo ad clericalem tonsuram et ad ss. Ordines ab eo promoveri; dummodo tamen:

1.º Dimissio ab Episcopo proprio ex justa causa, in scriptis et pro determinata diocesi concedatur.

2.º Acceptatio ne fiat nisi servatis regulis quæ pro clericis *incardinandis* statutæ sunt, et superius sub num. II, III, IV et V recensentur; et servato quoque decreto *Vetuit* diei 22 Decembris 1905 quoad alumnos a Seminariis dimissos.

3.º Sed juramentum ad tramitem Constitutionis *Speculatores* requisitum, præstandum esse ante clericalem tonsuram. Verum cum obligatio permanendi in diocesi non propria, eique in perpetuum serviendi, ante majorem ætatem non sine difficultatibus et periculis suscipi possit, cavendum esse ab Episcopis ne ad clericalem tonsuram admittant qui ætate major non sit.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo. D. N. Pio Papæ X ab infrascripto Secretario in audientia diei 16 Septembris 1906, Sanctitas Sua deliberationem Emorum. Patrum probavit et confirmavit, mandavitque ut evulgaretur per litteras S. C. Concilii, ut omnibus ad quos spectat lex et regula esset, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romæ, die 24 Novembris 1906.

CARD. VINCENTIUS, Episc. Prænестinus, *Præfectus*.

C. De Lai, *Secretarius*.

IV

DE SEMINARIORUM ALUMNIS QUI, E SEMINARIO
DIMISSI, IN ALIUD SE ADMITTI CURANT

Vetuit S. Tridentina Synodus ad sacros Ordines ascendere, vel Ordines jam susceptos exercere eos omnes qui a suo Episcopo fuerint etiam extrajudicialiter prohibiti. Ita namque in *cap. 1, Sess. 14, de reform.*, statuitur:

«Cum honestius ac tutius sit subjecto, debitam Præpositis obedientiam impendendo, in inferiori minis-

terio deservire, quam cum Prepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem; et, cui ascensus ad sacros Ordines a suo Prælati, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis Ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus, dignitates sive honores, restitutio suffragetur.

Cum vero generalis hæc lex Seminariorum quoque alumnos comprehendat, si quis eorum, sive clericus sive clericatus adhuc non initiatus, e pio loco dimittatur eo quod certa vocationis signa non præbeat, aut qualitatibus ad ecclesiasticum statum requisitis non videatur instructus, hic certe deberet, juxta grave S. C. Concilii monitum, sui Pastoris judicio subesse et acquiescere.

At contra sæpe contingit ut e Seminario dimissi, eorum qui præsent judicium parvipendentes et in sua potius opinione confisi, ad sacerdotium nihilominus ascendere studeant. Quærant itaque aliud Seminarium, in quod recipiantur, ubi studiorum cursum expleant, ac denique aliquo exhibito plus minusve sincero ac legitimo domicilii aut incardinationis titulo, Ordinationem assequuntur. Sanctuarium autem ingressi haud recta via, quam sæpissime fit ut Ecclesiæ utilitati minime sint. Passim vero utrumque Ordinarium, et originis et Ordinationis, diu fastidioseque vexant ut sibi liceat ad natale solum regredi, ibique consistere, diocesi in qua et pro qua ordinati sunt derelicta, et alia optata, pro cujus necessitate aut utilitate minime assumpti sunt, ubi imo eorum præsentia otiosa est, et quandoque etiam damnosa: unde Episcopi in graves angustias conjiciuntur.

His itaque de causis nonnullarum provinciarum Episcopi inter se convenerunt statuentes in sua Seminarium neminem admittere qui ante fuerit a proprio dimissus.

Sed cum particularis hæc conventio non plene neque undique sufficeret, complures Ordinarii S. Sedem rogaverunt ut generalem legem ferret, qua malum radicitus tolleretur.

His itaque attentis, et omnibus ad rem mature perpensis, SSmus. D. N. Pius PP. x, cui cordi quam maxime est ecclesiasticam disciplinam integram conservare, et a sacris avertere quemlibet qui probatissimus non sit, accedente etiam voto Emorum. S. C. Concilii Patrum in Congregatione diei 16 mensis Decembris 1905 emisso, præsentibus litteris statuit atque decernit:

1.º Ut in posterum nullus loci Ordinarius alterius diocesis subditum sive clericum sive laicum in suum Seminarium admittat, nisi prius secretis litteris ab Episcopo oratoris proprio expetierit et cognoverit, utrum hic fuerit olim e suo Seminario dimissus. Quod si constiterit, omitens judicare de causis, aut determinare utrum juste an injuste alius Episcopus egerit, aditum in suum Seminarium postulanti præcludat.

2.º Qui vero bona fide admissi sunt, eo quod retineant se antea in alio Seminario versatos esse et ab eo deinde dimissos, statim ut hæc eorum conditio cognoscatur, admonendi sunt ut discedant. Quod si permanere velint, et ab Ordinario id eis permittatur, eo ipso huic diocesi adscripti maneant, servatis tamen canonicis regulis pro eorum incardinatione et Ordinatione; sed aucti sacerdotio, in diocesim, e cujus Seminario dimissi fuerint, regredi ibique stabile domicilium habere prohibentur.

3.º Pariter, cum similis ferme ratio vigeat, qui dimissi ex Seminariis aliquod religiosum Institutum ingrediuntur, si inde exeant postquam sacris initiati sunt, ventantur in diocesim redire e cujus Seminario dimissi fuerint.

4.º Dimissi vero ex aliquo religioso Instituto in Se-

minarium ne admittantur, nisi prius Episcopus secretis litteris a moderatoribus ejusdem Instituti notitias requisierit de moribus, indole, et ingenio dimissorum, et constiterit nil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat.

Denique meminerint Episcopi fas sibi non esse, nomine proprio manus cuiquam imponere qui subditus sibi non sit eo modo, et uno ex iis titulis, qui in Constitutione *Speculatores* Innocentii XII et in decreto S. C. Concilii quod incipit *A primis* die 20 m. Julii 1898 statuuntur. Ac pariter neminem ordinari posse qui non sit utilis aut necessarius pro ecclesia aut pio loco pro quo assumitur, juxta præscripta a S. Tridentino Concilio in *cap. 16; Sess. 23, de reform.*

Vult autem Sanctitas Sua ut statuta hæc et cautelæ omnes a sacris canonibus in re tam gravi adjectæ, ab omnibus Ordinariis ad unguem serventur; idque ipsorum conscientie et sollicitudini quam maxime commendat.

Præsentibus valituris contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romæ, die 22 Decembris 1905.

CARD. VINCENTIUS, Episc. Prænестinus, *Præfectus*

C. De Lai, *Secretarius.*

CÆREMONIALE PAROCHORUM

Juxta novissimas Apostolicæ Sedis sanctiones concinnatum

(Continuatio)

6. Immediate ante vel post missam privatam, justa de causa, non est prohibitum distribuere sacram communionem (D. 3832); vetitum vero est eandem ministrare immediate ante vel post missam solemnem, cantatam et conventualem (S. R. C., 19 jan., 1906 ad 3). Item, data

rationabili causa, sacerdos, qui ad aliquod altare pro celebratione missæ accedit vel ab eo recedit, sacris vestibus sacrificii indutus, et præ manibus calicem tenens, in transitu ante altare ss. Sacramenti potest illud ascendere et communionem fidelibus distribuere (DD. 2740, et 19 jan., 1906 ad 3).

7. In missa de requie cum paramentis nigris sacra communio fidelibus ministrari permittitur, sicut etiam immediate post, et data rationabili causa, immediate ante missam, in utroque tamen casu omittenda est benedictio (D. gen. 3177).

8. In oratoriis privatis sacram communionem ministrare licet, non solum indultariis (S. R. C., 10 febr., 1906), sed etiam fidelibus ibidem sacro adstantibus, salvis juri-bus parochialibus (S. R. C., 8 maji, 1907). Verba *salvis juri-bus parochialibus* includunt reservationem sacre communionis in privatis oratoriis distribuendæ, tam pro præcepto paschali adimplendo quam pro sacro viatico infirmis administrando. Feria V in cœna Domini et in die paschatis, etiamsi in præfatis oratoriis habeatur indultum missam celebrandi, sacra communio tamen distribui nequit.

9. Ante sacram communionem in missa distribuendam, sacerdos, postquam se communicaverit ex altari, de consensu Ordinarii, potest ad populum brevem sermonem habere (D. 3059). Idem conceditur pro prima communione puerorum et pro alia quacumque causa (DD. 3009; 3529).

10. Occasione alicujus festi, tridui, novendialis, etc., licet transferre ss. Sacramentum ad altare in latere ecclesiæ erectum, ut sacra communio ibidem populo distribuatur, dummodo in duobus altaribus ss. Eucharistia continuo non asservetur (Decr. 3576).

11. In casu quo non sufficiant sacre particule, sacerdos, si adsit necessitas, aliquas dividere potest (D. 2704).

12. Sacerdotes ac diaconi cum stola alba vel coloris

officio diei convenientis communicent: diaconi autem stolum transversam ferre debent, etiamsi private accedant (D. 3499).

13. Sacra communio prius ministranda est ministro sacrificii quam aliis, quamvis, ceteris tamen paribus, dignioribus, non ratione præeminentiae, sed ministerii (D. 1074).

ARTICULUS I

De modo Christi corporis populo intra missam præbendi

1. Quando intra missam fidelibus Christi corpus est præbendum, sacerdos, priusquam purificationem accipiat, si parvo fidelium numero ei dandæ sunt particulae intra missam consecratae, calicem in medio corporali deponit, illum palla operit, genuflectit, particulas colligit super patenam, quam calicis pedi superponit, et iterum facta genuflexione, post absolutum *Confiteor*, se vertit ad populum, epistolæ cornu respiciens; et junctis ante pectus manibus, et oculis demissis, dicit: *Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducatur vos ad vitam æternam.*

2. Responso a ministro *Amen*, subjungit: *Indulgentiam, absolutionem* ✠ *et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus*; et interim, quin pollices indicesque digitos sejungat, signum crucis in populum dextera manu facit, tenens, ut mos est, sub pectus extensam sinistram manum. (1)

3. Cum particulae intra missam consecratae sunt in pyxide, operto, veluti supra diximus, calice palla, dextera manu sibi ante calicem admovet pyxidem, quam detegit,

(1) Advertat sacerdos, dicendum semper esse *vestri* et non *tui*, etsi uni dandum esset Christi corpus.

genuflectit, et inde se vertit ad dicendum *Misereatur etc.*, ut minister *Confiteor* absolverit.

4. Quod si pyxis in tabernaculo sit, calice aliquantulum ad latus evangelii seposito, amotaque secretarum tabella, et aperto ostiolo, genuflectit, extrahit pyxidem, quam super corporale ad medium ponit, detegit, denuo genuflectit (D. 3116), et deinceps ad dicendum *Misereatur etc.*, se vertit.

5. Dicto *Indulgentiam etc.*, per eandem viam ad altaris medium revertitur, genuflectit, et sinistra manu, indicem inter atque medium digitum, prehensa patena, vel pyxide in nodo, dexteræ manus pollice et indice digitis, ex particulis accipit unam, quam super patenam vel pyxidem aliquantulum elevantam tenens se convertit ad populum, humeris altari obversis. Oculis in Sacramentum defixis, clara voce latinoque idiomate. (DD. 2725; et 1 jul., 1904 ad 2) dicit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, deinde statim repetit ter: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.*

6. Absoluto ultimo *Domine, non sum dignus*, ex altari, ut communiter docent, per medium, scilicet per gradus anteriores descendendum (1) ad cancellos presbyterii in parte epistolæ, profidelibus communicandis, et postea ascendendum.

7. Unicuique autem communicantium porrigit Sacramentum, toties faciens cum eo signum crucis super pyxidem vel patenam, et simul ad singulos dicens *Corpus Do-*

(1) Decretum erat ex quo descendendum dicebatur per medium, etiamsi communio distribuenda esset monialibus quæ fenestellam habebant ad alterutrum e lateribus, quasi retro altare. Hujusmodi decretum expunctum est, et jure merito; quare enim cogendus sacerdos descendere per medium, ut ad fenestellam eat, cum debeat quasi viam repetere?

mini nostri Jesu Christi (quibus verbis caput est semper demittendum) *custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen*; ita ut hæc formula cum impositione sacræ particulæ super linguam suscipientis finiatur. (1)

8. Omnibus usque ad evangelii latus communicatis, si alii accesserint communicaturi, sacerdos redit ad latus epistolæ, ibique rursus incipit, ac eodem ordine proseguitur usque ad finem. (2)

9. Fidelibus communicatis, nihil dicens redit ad altare, in quod per medium ascendit (vid. infra, notam 1), patenam vel pyxidem deponit, genuflectit si adhuc Sacramentum inest: nullam orationem dicit, non digitos abstergit neve benedictionem impertit, quia in sacri fine est daturus.

10. Si post sacram synaxim nulla particula supersit, non genuflectit ad altare reversus; sed, quin patenam deponat, dextera manu calicem detegit, locans pallam prope vel super calicis velum: inde prehensa dextera manu patena, colligit fragmenta in qua parte corporalis erant particulæ, et detera patena, missam de more proseguitur.

11. Si aliqua particula supersit, ad altare reversus, deponit super corporale patenam in calicis pedem innixam, genuflectit, et reprehensa sinistra manu patena, dextera sacras particulas accipit, inclinatus, sicut in hostiæ sumptione.

(1) Caveat sacerdos: 1. Ne labia aut aliquam partem vultus sumentium digitis aut ipsa particula tangat; sed leviter premat linguam extremitate particulæ, ut illi inhaereat, et statim manum reducat; 2. Ne nimium patenam vel pyxidem ad os admoveat eorum qui Christi corpus sunt accepturi, ne interspiratio particulas provehat; 3. Ne sinistra manu, sicuti nonnulli faciunt, purificatorium capiat, nam nec rubrica, nec rituale, nec aliquis ex probatis auctoribus mentionem de hoc habent. (Bal deschi, *Ss. Cer.*, p. 1. c. 3. 1, n. 8).

(2) Si forte sacra particula in mulieris sinum decadat, hanc admo-
neat ut illam decenter extrahat et sumat.

12. Cum vero particulæ servandæ sunt, ad altare reversus, calicem de medio amovet collocatque in evangelii partem intra corporale, superponens, ut diximus, illius pedi patenam cum sacris particulis; tabernaculum aperit, genuflectit, extrahit pyxidem quam aperit, iterum genuflectit et sacras particulas immittit; deinceps genuflexionem reiterat, et operit pyxidem quam in tabernaculum recondit, genuflectens ante quam ostiolum claudat.

13. Sumptis vel in pyxidem immissis particulis, in calicem ut supra fragmenta demittuntur.

14. Quando communio data sit cum particulis in pyxide existentibus nulla ex eis superet, ut ad altare redierit, illam detergat a fragmentis, indice manus dexteræ illa promovens ut in calicem decendant; eandem poterit purificare et modico vino infuso, eo intus in pyxide circumacta; effuso deinde vino in calicem, purificatorio pyxidem abstergat, operculo operiat, et extra corporale collocet. Demum calicem de more purificet.

15. Quoties in pyxide particulæ superent, nisi conservandæ sint, eas, post genuflexionem, statim sumat, pyxidemque detergat; sed si conservandæ sint, tunc aut in eadem pyxide relinquendæ sunt, aut non. Si primum, post genuflexionem et digitorum super pyxide detersionem, operiat pyxidem et in tabernaculum condat, adorans priusquam ostiolum claudat: si secundum, cum videlicet in aliam pyxidem intra tabernaculum stantem sint reponendæ, tunc ista educta, et sumptis particulis antiquioribus, detera, si oporteat, imponat in eam particulas paulo ante consecratas, et postea genuflectens, juxta ritum in tabernaculum recondat: postremo vacuum pyxidem emundet. (1)

(1) Notetur, quod, si novæ antiquioribus particulis sint recondendæ, hæc superius illæ inferius collocentur.

ARTICULUS II

De modo Christi corpus fidelibus dandi ante vel post missam

